

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0013

0011

0017

0007

0022

0002

0062

0112

0512

1012

Ende

Anfang

2

Cogitabam mecum, quod forte ex dispositione venerabilis Patris Gardiani id factum foret ad reprimendas insolentias peregrinorum, quorum aliqui tota nocte sedebant in templo manducantes et bibentes, sicut Corinthii, quos Apostolus 1. Cor. 2. in omnibus laudat, praeterquam in illo, quod unusquisque praesumebat coenam suam in ecclesia manducare, et erat difformitas, quia unus esuriit et alius ebrius fuit. Sic etiam erat inter peregrinos, quorum aliqui se replebant, aliqui vero jejunabant, et ideo virtuose praeventum est, ne cibi reperirentur.

Singulis ergo congregatis aperuerunt domini Mauri ecclesiae sanctae valvas, nosque intromiserunt eodem modo, sicut dictum est folio 108, A. Ingressi sunt etiam nobiscum Fratres montis Syon, inter quos nobiscum intravit spectabilis vir, dictus Johannes de Prussia, Procurator Fratrum montis Syon, saecularis quidem statu, sed regularis habitu et vita. Utitur enim proprio arbitrio habitu tertii ordinis S. Francisci, cui tamen regulae voto se non adstrinxit. Hic vir est genere nobilis, de prosapia comitum, Teutonicus de Prussia, procerae staturae, longam habens barbam, veneranda canitie decorus; maturus valde est vir ille, et multarum experientiarum, moribus compositus, conscientiosus et timens Deum. Has laudes non ex auditu, sed ex certa scientia huic probo viro do. Hic habet auctoritatem domini Papae, et domini Imperatoris, et favorem regum et principum Christianitatis, creandi et percutiendi milites peregrinos nobiles ad sanctum Domini sepulchrum venientes (B). Notus est etiam domino Soldano, qui eum in magna habet veneratione. Praefectus insuper Naydon civitatis Jerusalem eum veneratur, et Sabathytanco et Elphalhallo, Calini et Trutschelmanni, omnes eum noscunt et venerantur. Unde sibi data est potestas a dominis terrae ornandi loca sancta maceris et aliis, praeterquam quod muros erigere non audet. Hic vir procurat, quod ruinae ecclesiae sancti sepulchri et in Bethlehem reficiantur, et tantae auctoritatis est in Jerusalem, quod etiam Sarraceni et Judaei eum timent, et pueri se ab eo abscondunt. Et dico pro certo, quod duo homines sunt in Jerusalem, senes et annosi, utilissimi et locis sanctis et peregrinis, et cogitare non possum, qualiter peregrini